

Sæculum XI. **instaurandum in monte combustum monasterium, quod ipsum est cœnobium ad Vineas seu Weingartense hodieque florentissimum a Welfone IV. Azonis Atestini in Italia principis ex sore nepote, ac herede ex asse, ita auctum, ut teste Bucelino eiusdem monasterii asceta in chronologia Constantiensi ad an. 1057. alter istius cœnobii fundator habeatur post Pipinum regem, quæ verba nec quidem de prima monialium institutione intelligenda veniunt. Notatur autem idem Bucelinus a P. Gerardo Hefs in dissertatione prævia ad prodromum monumentorum Guelficorum, quod**
pag. 13. Henricum, eiusque uxorem Beatam, matrem S. Conradi Constantiensis episcopi, restauratorem tantum illius parthenonis statuerit, quum primi tamen fuerint eiusdem fundatores, adolescente seculo X. Elapso abhinc integro seculo Welfo II. Altdorfenses Sanctimonialia ad *Altmunster* in Bavariam, inde vero monachos in Altorf transferendi consilium cœpit, teste anonymo Weingartensi, quod anno demum 1047. Welfo III. executioni mandavit, ubi monachi cum abbate Henrico Altorfium commigrarunt, indeque combusto octo post annos monasterio, in montem, ubi illud hodieque subsistit, transferunt. Accepit id ipsum monasterium eodem adhuc seculo XI. ex Hirsaugiensi Silvæ Nigræ monasterio abbatem Walichonem S. Wilhemi discipulum; ut adeo, **l. c. p. 46.** notante eodem P. Gerardo lapsus hic sit Trithemius, dum in chronico **X. l. p. 268.** Hirsaugiensi ad annum 1085. a Wilhelmo Walichonem missum scribit in Altorf Argentinae diœcesis, loco Constantiensis. Idem P. Gerardus affert ibi instrumentum Welfonis IV. an. 1090. quas litteras fundationis vöcant.

A Welfonibus his, ad quos an. 1071. ducatus Bavariæ rediit, prima crepundia repetuntur factionis illius Guelficæ, quæ proximis seculis Gibelinæ opposita patriam nostram tantopere secum commisit. Hinc certe, & a temporibus Henricorum, quibus se Guelfi hi acriter opposuerunt, Otto Frisingensis in gestis Friderici I. turbas has ac bella repetit, a contentionibus scilicet, quas inter se habuerunt duæ famosæ familiæ *una Henricorum de Gueibelinga, altera Guelforum de Altorfo.* Gestæ Guelfi inter duces Bavariæ primi contra Henricum IV. Imp. in gratiam cum primis Rudolphi de Rheinfelden, qui ex duce Alemanniæ eidem oppositus est Romanorum rex, alibi ex instituto sum profecutus.

Seculo autem XI. paullatim iterum excreverunt facultates & potentia Guelficæ gentis, etiam extra Germaniam, dum iam an. 1047. Henricus III. Imp. marchionatum Veronensem contulisset Welfoni III. quo an. 1055. absque liberis mortuo, Chunigunda eius foror Azoni II. Liguriæ